



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

308. Dominica 29. [i.e. 20.] post Pentecost. De Religione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

542 *Dominica 20. post Pentecosten.*

part. 503. *Locus Sanctificationis transcendens Seraphim, & Hugo de S. Victore serm. 47. Balsamum mundum universum opinionis optima redolentiâ inestimabiliter adimplens. De Pietate ejus ait Richard. à S. Laur. lib. 10. p. 597. quòd fuerit fornax operum ardoris Dei, plena uberibus pietatis: ut ait Eusebius Gallican. quantâ pietate polles. ô MARIA, quos DEVS per solam justitiam salvare non potest, tu salvas per tuam misericordiam infinitam! De perseverantia ejus ait Andreas Cretensis, quòd sit Potentia, quæ non potest labefactari, cui nihil potest auferri.*

Conf. 2. Quantum ego distem ab his virtutibus. Confundar, & memoriâ repetitis hebdomadæ propositis gratiam pro illis exequendis a D. Virgine petam.

MEDITATIO CCCVIII.

Dominica 20. post Pentecosten.

De Religione.

Aspiciam Dominum JESUM, Religionis auctorem, cujus actiones semper exercebat ascendendo ad templum, orando, Sacramenta instituendo, omnia ad Patrem referendo. Petam eum imitari.

Conf. 1. Religio est virtus, quâ DEO tanquam omnium Creatori & Domino debitum cultum, & honorem exhibemus.

Conf. 20.

Dominica 20. post Pentecost. 543

*Conf. 2. Incitamenta. 1. Excellentia divinæ Majestatis, qualitas nostræ conditionis, qui Dei sumus, præstantia nostri finis, qui est ipse Deus, Dei præceptum sibi soli latræ cultum reservantis; emptio: Empti enim sumus pretio magno: præmium Deum colentium, baptismi susceptio. 2. Religio est præcipua virtus post Theologicas, & Vera sanctitas, quoniam Religionis actibus firmiter adheremus Deo. 3. Functiones Religionis sunt expetendæ summè, quia præstantissimæ. 4. Hanc docuit Christus, festa & Sabbata religiose celendo, ijs diebus plura miracula patrando; quoties civitatem intraret, adibat templum, res sacras reverebatur, lecturus sacram Scripturam, surrexit, sicque stans accepit librum, in eoque Isaiaæ Prophetiam legit, Luc. 4. & finitâ lectione sedit, adjuratus per Deum pareret, ad cultum adorationis Magos permovit, ob Patris æterni reverentiam omne juramentum inhibuit, ipse nullo juramento usus, doctrinam suam voce *amen* aliquando duplicatâ confirmabat.*

Conf. 3. Actiones ejus. 1. summa æstimatio Dei, cum nostra summa humiliatione. 2. Devotio, seu promptitudo mentis ad omnia divina obsequia, & cultum, quæ nasci solet ex meditatione divinorum attributorum. 3. Oratio, mentis in Deum elevatio, & postula-

444 *Dominica 20. post Pentecost.*
postulatio, Sanctorumque invocatio. 4.
Adoratio, quâ coram Deo corpore & mente
prosternimur, quâque Sanctos veneramus.
2. Sacrificium, quo Deo corpus & sanguinem
Christi in sanctissima Eucharistia, cum men-
tem, vires, & omnia nostra offerimus, 6. Ad-
ministratio, & susceptio Sacramentorum. 7.
Exhibitio oblationum, primitiarum, deci-
marum, quibus Deum in ministris ejus ho-
noramus. 8. Votum, quo Deo vel Religio-
nem, vel alia opera supererogationis vove-
mus, & reddimus. 9. Juramentum, quo in
necessitate cum magna reverentia Deum in
testem alicujus veritatis adducimus. 10. Ad-
juratio, sive obsecratio, quâ Deum per suam
bonitatem, Christi, & Sanctorum merita, ut
nobis aliquod bonum ad suam gloriam or-
dinatum concedat, instanter petimus. 11.
Laus Deo, quâ eum pro sua infinita perfe-
ctione & operibus, Psalmis, Hymnis, & can-
ticis spiritualibus, ore laudamus, & musicis
instrumentis. 12. Gratitude, quâ Domino
pro adversis & prosperis gratias agimus, pro
beneficijs proximorum. 13. Omnium vir-
tutum actus Theologicarum, & moralium
relati ad honorem, & cultum Dei.

MEDITATIO CCCIX.

Feria 2. Domin. 20. post Pentecost.

De Securitate,

Aspiciam